

**05**

**A**

**395**









71  
I. N. J.  
DISPUTATIO INAUGU-  
RALIS,  
DE  
DISCRIMINE VERÆ ECCLE-  
SIÆ DEI ET ALIORUM HO-  
MINUM,

PRÆSIDE  
PHILIPPO MELANCHTHONE,

Pro Licentia assumendi  
Gradum Doctoris

d. 18. Maji, 1556.

habita à

M. PAULO DE EIZEN, Hamburgensi.  
Superintendente Ecclesiæ Dei in  
inclyta Hamburga.

---

Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta /  
Nunc recusæ M DC LXXVIII.





**U**anquam demonstrationes sunt naturæ, quæ testantur esse Deum & docent, qualis sit, tamen assensio languet & multi & assidui sunt, æstus & Euripi dubitatio- num, & quia in mentibus caligo est, & quia magna est impiorum multitudo & magis floret, contra verò ecclesiæ cœtus est exiguus, miser, spretus, sine imperio, sine humanis præsiidiis, æger, dissipatus exulans in mundo, & qui sævitia Tyrannorum & fanaticorum furoribus assidue laceratur.

2. Hæc tristitia, spectacula cum intuentur infirmæ mentes, cohorrescunt & disputant, an hic miser cœtus sit ecclesia Dei, sed confirmandæ sunt testimoniis & patefactionibus divinis.

3. Esse aliquam Dei Ecclesiam in genere humano manifestum est ex patefactionibus divinis, quibus Deus addidit testimonia resurrectionem mortuorum & alia miracula. Ipsa etiam magnitudo calamitatum humanarum & lex ostendunt, genus humanum non tantum ad hujus vitæ ærumnas conditum esse, quia & fieri aliquando Legem oportet & finem esse calamitatum, cum fiet lex. Non enim frustra lex & insita est mentibus & repetita voce divina.

4. Quæ & qualis sit ecclesia Dei ostendunt etiam illæ ipsæ patefactiones. Nam ille cœtus est ecclesia, in quo Deus se patefecit in membris certis, & qui vocem doctrinæ Dei incorruptam & integram legem & promissionem de Mediatore amplectitur. Et talis est Ecclesia qua-



05 A 395



qualia sunt illa membra, & qualis est cœtus amplectens  
vocem doctrinæ integram, etiam si est ærumnosus di-  
persus & oppressus multiplici Tyrannide.

5. Nec fingimus Idæam Platoniam, cum Ecclesiam  
in hac vita nominamus, sed monstramus Ecclesiam vi-  
sibilem quæ conspici & exaudiri potest juxta dictum:  
In omnem terram exivit sonus eorum. Estq; visibilis  
Ecclesia cœtus amplectentium incorruptam Evange-  
lii doctrinam, & recte utentium Sacramentis, in quo fi-  
lius Dei vere est efficax & multos regenerat voce E-  
vangelii & spiritu sancto, & facit hæredes vitæ æter-  
næ. Et sunt tamen in eo cœtu multi non sancti, sed ta-  
men de doctrina consentientes.

6. Duo sunt genera doctrinæ in ecclesia inde usque  
ab initio cum Adam & Heva recepti sunt, Lex & Evan-  
gelium. Una est lex moralis in tota æternitate, quæ est  
sapientia æterna & immota norma Justitiæ in Deo, di-  
scernens recta & non recta, patefacta rationali creatu-  
ræ in Creatione, & postea voce Divina sæpe repetita in  
Ecclesia, ostendens quòd sit DEUS & qualis sit, & obli-  
gans omnes Rationales creaturas, & precipiens, ut sint  
omnes conformes Deo, & Denuncians justam & hor-  
rendam iram Dei adversus peccata, qua Deus damnat  
& destruit omnes non conformes, nisi fiat Remissio &  
Reconciliatio propter Filium Mediatorem.

7. Evangelium est prædicatio pœnitentiæ & prom-  
issionis, quæ non est naturali luce nota, sed ex arcano  
Consilio Divinitatis per Filium prolata est, qui missus  
est, ut propter eum & per eum immediate colligatur  
Ecclesia, ostendatur misericordia DEI voce Evangelii,  
& dentur Remissio peccatorum, Reconciliatio, impu-  
tatio Justitiæ vivificatio & Donatio spiritus Sancti, hæ-



reditas vitæ æternæ, justitiæ & gloriæ æternæ, gratis  
fide accipientibus promissionem propter Mediatorem.

8. Etsi Lex quoque Testimonium est de Ecclesia,  
nam in sola vera Ecclesia semper retenta est integra &  
incorrupta Legis Doctrina, cæteræ sectæ omnes eam  
corruperunt & mutilaverunt; Tamen vox Evange-  
lii proprie facit Discrimen Ecclesiæ & aliarum genti-  
um, sicut inquit Paulus: Fundamentum aliud poni non  
potest, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus.

9. Non invocant verum Deum Mahometistæ, &  
omnes alii ignari & hostes Christi, ut hoc tempore,  
defensores Serveti & similes, quia qui Filium non hono-  
rat, non honorat Patrem.

10. Universa scriptura V. & N. Testamenti præcipit  
invocare Messiam. Est igitur Messias omnipotens. Hinc  
perpetuus consensus universæ scripturæ sit in conspe-  
ctu, & ad confirmandum Dogma, quod Filius, qui est  
imago æterni Patris, sit Deus & ad exfuscitandam in-  
vocationem.

11. Filius nominatur λόγος non solum quia cogita-  
tione Patris nascitur, sed etiam quia est persona missa,  
ut per eam immediatè colligatur Ecclesia, proferens  
Evangelium ex sinu æterni Patris, quæ semper adest  
Ecclesiæ, ostendit credentibus Patris misericordiam,  
voce Evangelii, & vivificat eos & dat spiritum sanctum,  
servat Ministerium Evangelii & Ecclesiam. Hæc facit  
inde usque ab initio & antequam assumpsit humanam  
naturam, & nunc in natura assumpta. Hæc interpræ-  
tatio appellationis λόγος dulcissima est, & com-  
monefacit nos de perpetua præsentia & efficacia filii Dei in  
ecclesia. Congruit autem cum dicto: Filius qui est in  
sinu patris ipse enarravit nobis. Item: τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λα-  
λῶ



λω ὑμῖν. Item : Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui vo-  
let Filius revelare.

12. Esse autem λόγον ἱφιστάμενον seu personam, mul-  
ta dicta testantur, quæ affirmant, eum esse antequam  
assumpsit humanam Naturam. Antequam Abraham  
natus est, egosum. Item Paulus ad Corinthios: Bibe-  
bant ex spirituali comitante eos petra, petra autem erat  
Christus. Et Johan. 17. Glorifica me Pater apud te ea  
gloria quam habui apud te antequam fuit mundus. Et  
in Epistola ad Hebræos nominatur Filius, per quem  
omnia condita sunt. Et hic filius dicitur esse ἀπαύγασμα  
gloriæ & character substantiæ Patris. Et ad Colossen-  
ses dicitur: Omnia per ipsum condita esse. Item dicta  
Johan. primo & Johannis quinto. Pater meus usque  
modo operatur, & ego operor. Denique sint in conspe-  
ctu illustria testimonia, ut fides & invocatio in nobis  
confirmentur, & celebremus hanc mirandum Bonita-  
tem, quod vere sit custos Ecclesiæ, & sit efficax voce  
doctrinæ, & agamus gratias quod hoc mirando fœdere  
amorem testatus est, quod assumpsit humanam natu-  
ram, & ut nos redimeret, inenarrabili humilitate se vo-  
luntati æterni Patris subjecit. Tu Fili DEI Domine Je-  
su Christi, accende in nobis veram agnitionem Tui, &  
eam in nobis confirma contra diabolos qui veritatem  
horribili odio tui oppugnant, constitutis maximis Im-  
periis Mahometicis in genere humano & excitatis  
aliis organis contra Gloriam Filii DEI.

13. Sed teneatur hæc firmissima Regula: Impossibile  
est, ullos cœtus rejicientes scripta Prophetica & Apo-  
stolica esse Ecclesiam DEI. Quare non frangamur con-  
spectu multitudinis & Potentiæ Mahometicæ, etsi triste  
& horrendum spectaculum est.



14. Papa etsi videri vult retinere libros Propheticos & Apostolicos, tamen & idola manifestè contraria contra Legem DEI, & Dogmata falsa defendit, & manifestis mendaciis addit parricidia, ut agnosci possit regi consilia Pontificia à diabolo, qui est mendax & homicida.

15. Lex divina est immutabilis inquit: Dominum DEUM tuum adorabis & illi soli servies: Papa jubet invocare homines mortuos, & circumfert panem adorandum, cum extra institutum usum nihil habeat, rationem Sacramenti, & multiplex est in Missa pontificia, idolorum cultus.

16. Nunc etiam factio Pontificia fingit novum Deliramentum. Ait: Sanctos invocandos esse ut Mediatore, Christum tantum ut DEUM, quia tantum fuerit, Mediator in passione.

17. Huic deliramento opponimus dicta, Roman. 8. Quis est in dextra DEI, qui & interpellat pro nobis & Ebre. 7. semper vivens ut interpellat pro eis. Et in Psalmo: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Et ipse inquit: Quicquid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis.

18. Mediator est Persona divinitus constituta, ut sua merita pro nobis offerat, & sit deprecatrix, & habeat, promissionem quod exaudiatur.

19. Solus igitur Filius DEI Dominus noster JESUS Christus est Mediator, & Nomen Mediatoris personæ competit, quæ est DEUS & homo.

20. Omnis vera invocatio quæ fit ad DEUM, semper, intelligatur complecti Patrem, Filium, & Spiritum S. juxta dictum, Pater meus usque modo operatur & Ego operor. Et non agnoscitur Pater, nisi & Filius agnoscat.  
tur.



tur. Et sic discernimus nostram invocationem ab Ethnica. Omnipotens Deis æternè Pater Domini Nostri Jesu Christi: Et usitate dicitur: Pater noster qui es in Cœlis. Hoc loco, Pater, est essentiæ Nomen non tantum unius personæ.

21. Semper igitur Filius utroque modo invocandus est. Et cum Patre ac Spiritu S. ut DEUS dator Bonorum. Et ut Mediator, missus ac intercedens. Idque servamus in forma usitata, Omnipotens DEUS, æterne Pater Domini nostri Jesu Christi, Creator cum Filio & Spiritu S. sapiens, verax, Bone, misericors, miserere mei propter Filium Tuum, Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum & resuscitatum, quem voluisti pro nobis esse victimam *μεσίτην καὶ ἱκέτην*, & justifica me propter eum & per eum, & sanctifica me Spiritu S. tuo &c. Et ipse dicit, Quicquid petieritis Patrem in Nomine meo, i. e. me nominato credentes vos propter me exaudiri &c. Certe vult agnosci & invocari etiam ut sacerdos & assiduus Deprecator pro nobis, & nominatim hoc dici: Da DEUS propter Filium.

22. Sic & Daniel precatur: Exaudi nos DEUS, non propter justitiam nostram, sed per misericordiam, propter Dominum.

23. Multæ sunt etiam aliæ corruptelæ Pontificiæ in doctrina de Lege, peccato, gratia, Fide, Justitia, Pœnitentiâ, Ecclesia, Ministerio Evangelico, Traditionibus humanis, unde intelligi potest, talium errorum defensores non esse Ecclesiam DEI.

24. Manifesta Evangelii deletio est fingere, hominem in hac vita esse justum Lege, seu propriis operibus & in hac imaginatione multi sunt involuti errores.

25. Manifesta Evangelii deletio est, dicere, semper dubitandum esse, an sis in gratia.

26. Fal-



26. Falsa interpretatio est, fide sumus Justī, scilicet, formata, quasi hoc velit Paulus, non fide sed propter sequentem dilectionem, videlicet, propter proprias virtutes homo est justus. Similis corruptela est Osiandricorum: Fide Justificamur, scilicet præparatione.

27. Univerſa Prophetica & Apostolica Scriptura, perpetuo consensu hoc affirmat, hominem in conversione accipere Remissionem peccatorum, Reconciliationem, imputationem justitiæ, vivificationem, Spiritum S. & hæreditatem vitæ æternæ, propter Mediatorem, Gratis, Fide, non propter nostram Dignitatem, aut nostra merita, aut nostras virtutes. Hanc & Pauli sententiam esse affirmamus, qui quidem & Prophetica testimonia eo citat ut Ecclesia videat eum non discedere à doctrina Prophetarum.

28. Hanc perpetuam sententiam Prophetarum & Apostolorum DEI beneficio retinent & nostræ Ecclesiæ, cum dicimus, sola Fide justificamur, & rejiciunt Papisticam Osiandricam Synecdochen quæ cum splendidissime defenditur, tantum hoc dicit: Renatos novitate justos esse. Nam Osiander expressè definit justitiam his verbis: Justitia est, quod efficit nos justa facere quod quid aliud est, quam homines justa faciendo justos esse. At Psalmus inquit: Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

29. Verissimum est habitare Deum in sanctis, & in eis efficacem esse, & illas pulcherrimas virtutes in Joseph, Daniele & similibus, sine ulla dubitatione esse, motus divinos, justitiam, & sacrificia Deo grata, sed propter hæc quanquam divina bona, persona non est justa coram Deo, i.e. habens Remissionem peccatorum & Reconciliationem. Imo hæc bona nec esse quidem  
pos-



possunt, nisi prælucente Fide, quæ credit personam recipi & placere propter Filii Dei obedientiam, & Filium Dei velut umbraculū esse, quo legimur in iudicio Dei, sicut dicitur, sumus dilecti in dilecto. item: Justus Fide sua vivet.

30. Nominantur autem illæ virtutes justitiæ & sacrificia, quia in reconciliato sunt res congruentes cum voluntate Dei, imò sunt opera Dei & testimonia de Deo in cordibus & in ecclesia. Et sunt sacrificia, quibus vult Deus celebrari, & longe superant Philosophorum virtutes, quia in Philosophicis non lucet agnitio Dei, & non sunt λογική λατρεία, id est, cultus, in quibus lucent notitia Dei, timor, fides.

31. Et severissimè execrandus & fugiendus est furor Antinomorum qui fingunt non contristari & non excuti spiritum sanctum sceleribus contra conscientiam, cum clarissime dictum sit, 1. Cor. 6. Ne erretis scortatores, Idolorum cultores, Mæchi &c. Non possidebunt regnum Dei. item milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

32. Non ideo filius Dei missus est, & tantis miraculis colligit & servavit Ecclesiam, servata familia Nohæ in diluvio, educto populo ex Ægypto & Babylone. Non ideo adsumpsit humanam naturam, sensit iram æterni Patris, sudans Sanguinem, & victima in cruce factus est, ut tu omnibus furoribus opinionum, libidinum, crudelitatis indulgeas, ut David rapiat alterius conjugem, interficiat virum, irretet iram Dei, ut seditio sequatur plena scelerum & calamitatum. Sed ideo immensa misericordia nos redemit, ut deleat peccatum & mortem, & nos vivificet ac sibi adsimilet & æternam justitiam in nobis restituat, sicut Paulus inquit: Transformamur in eandem imaginē, id est, adsimilamur Filio, qui est imago æterni Patris, sapientia seu luce quæ est agnitio Dei, & motibus congruentibus verbo Dei.

B

33. Fi-



33. Filius dicens consolationē in mentibus nostris, voce Evangelii ostendit præsentiam patris, & vivificat credentem & dat Spiritum sanctum, ut confirmet cor & accendat invocationem, & alios motus tales, qualis ipse est, sicut 1. Joh. 4. dicitur: In hoc cognoscim⁹ quod in eo manemus & ipse in nobis, quia de spiritu suo dat nobis. Et digna est consideratione sententia Athanasii: In quocunq; dicitur esse, Spiritus sanctus, ibi est per Verbum, id est per Filium, efficacem voce Evangelii.

34. Hæc transformatio in nobis est nova obedientia, quæ non est meritum vitæ æternæ, sed ideo, quia manet ordo immutabilis, ut creatura rationalis Deo obediat, & quia ad æternam justitiam restitui mur, necessaria est. Et tamen retinenda est Exclusiva SOLA FIDE, id est, fiducia misericordiæ propter Mediatorem justus sumus, & hæredes vitæ æternæ. Non enim habem⁹ in hac vita legis impletionem, de qua dicit Paulus: Nos spiritu ex fide spem justitiæ expectamus.

35. Hanc totam doctrinam cum Papistæ multipliciter corrumpant, & errores Sophistamatum præstigiis, & Tyrannica credulitate defendant, non sunt vera DE I Ecclesia.

36. Ecclesiam intelligunt Papistæ esse Regnum Episcoporum, alligatum ad ordinariam successionem, ut ipsi nominant, & ad traditiones humanas, ut si regnum Gallicum describerent alligatum ad ordinariam Regum successionem, & ad certas regni leges & judicia. Hæc Politica *κατοχική* plena est multorum errorum.

37. Alligata est autem Ecclesia ad incorruptam Evangelii doctrinam, quæ & ministerium Evangelii & usum Sacramentorum ordinat. Et hoc modo Deus æternam Ecclesiam per Filium colligit, & voce Evangelii est efficax, ut expresse



preſſe dicitur : Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem  
omni orendenti. Et Paulus ſic deſcribit Regnum Chriſti in  
hac vita, cum ait : Tradet regnum Deo & Patri.

38. Regnum Chriſti æternum eſt, ut in Luca dicitur : Re-  
gniejus non erit finis, ſed quia modus alius eſt Regni in  
hac vita, alius poſt iudicium, ideo Paulus inquit : Tradet Re-  
gnum Deo & Patri in hac vita Regnum Chriſti eſt filium  
miſſum eſſe ut proferat Evangelium ex ſinu æterni Patris,  
antea ignotum omnibus creaturis, & aſſumpta humana  
natura redimat, Eccleſiam & eam voce Evangelii imme-  
diate colligat, ut vivificet dato Spiritu Sancto, ſit Redem-  
ptor & Salvator, protegat & ſervet Eccleſiam, & ſit caput  
omnia in omnibus perficiens, & poſt mortem reſuſcitet  
nos, & veſtiat munda natura, ut deinde viſibiliter habitet  
in nobis Deus, & ſit omnia in beatis omnibus. Regnat igitur  
Chriſtus in hac vita in Eccleſia per Miniſterium Evan-  
gelii, poſt hanc vitam, etſi manet Rex & caput Eccleſiæ, ta-  
men modus alius erit, ſcilicet viſibilis conſpectus.

39. Cum igitur univerſa ſcriptura Prophetica & Apoſto-  
lica adfirmet, voce Evangelii colligi Eccleſiam, & cum hac  
voce & cogitatione ſcripti verbi Deum efficacem eſſe, non  
eſt audiend<sup>9</sup> Stenkefeldius, qui non deſinit vociferari, De-  
um ſe ſine medio communicare, ſine voce Miniſterii, ſine  
cogitatione ſcriptæ doctrinæ. His fanaticis clamoribus ab-  
ducit homines à lectione & cogitatione ſcriptæ doctrinæ,  
ut maniſteſſima Exempla multorum oſtendunt, qui Pa-  
ſtores aut pellunt, aut audire nolunt & jaçant illa Enthu-  
ſiaſtica oracula Stenkefeldii.

40. Opponamus autem certiffima teſtimonia divinitus  
tradita, Rom. i. Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem o-  
mni credenti Rom. io. Fides ex auditu eſt. Auditus per ver-  
bum Dei, Joh. i. Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris



enorravit nobis: Quam ob causam filius Dei λόγος missus est? quare Deus tam arcani & mirandi decreti nuncium vult filium esse? Si non hujus vocis cogitatione homines convertit & vivificat, Psalm. 118. Hæc est consolatio mea in afflictione mea, quod eloquium tuum vivificat me. Vult nos Deus in trepidationibus & pavoribus intueri promissionem revelatam, ibi vult nos quærere & agnoscere suam voluntatem & adsentiri promissioni. Et certissimum est ipsum Filium Dei λόγος in adsentientibus efficacem esse, ideo psalmus 129. dicit: Expectavi Dominum, expectavit anima mea, & in verbo ejus speravi.

41. Tota scriptura Prophetica & Apostolica plena est testimoniorum, quæ non solum præcipiunt ut discamus, audiamus, legitemus scripta divinitus tradita, sed etiam ut sciamus, DEUM hac ipsa cogitatione efficacem esse, ut Romanorum decimo: Prope est verbum in ore tuo &c. Et ad Corinthios nominatur Evangelium Ministerium Spiritus, i. e. quo Spiritus S. datur & est efficax.

42. Et quid opus est longa refutatione? Cum Paulus de Lectione præcipiat & dicat, inde consolationem petendam esse, anteferatur Stenkefeldio, qui removet lectionem, & jubet expectare Enthusiasmos simulatione torvitatis ut multos vidimus impostores, abjicientes doctrinæ metas, qui postea & opiniones tetras sparserunt, & seditiones moverunt.

43. Retineamus poti<sup>9</sup> dictum Pauli: Si assiduus & attentus in lectione, consolatione & doctrina. Orditur Paulus à lectione, quia Evangelium non est natura notum, ut Doctrinæ Philosophicæ, sed discendum est ex scriptis, quæ Deus voluit per Prophetas & Apostolos mandari literis. Et Lectioni addit consolationem, DEUS igitur ea Lectione efficax est. Doctrina est enaratio Lectionis seu scripti, cum

VOX



vox docentis ostendit argumenta, membra, exitus in proposita materia. Et ad Colossenses inquit: Sermo Christi habitet in vobis abunde in omni Sapientia, & docete, & emendate vos mutuo.

44. Eludit hæc dicta Stenkefeldius, sermo i. e. ipse Filius. Sed in his dictis expresse fit mentio Lectionis & doctrinæ, & commonefactionis. Ac detestentur bonæ mentes petulantiam & Sophisticam in erudendis manifestis Testimoniis. Scimus cogitationem sine actione Divina, Literam esse, sed simul hoc dicimus, Filium DEI constitutum esse. Nec aliter senserunt pii unquam in Ecclesia, sed semper fuerunt homines Fanatici & Enthusiastici, qui cæca ambitione moti καὶ τεταρωμένοι similia deliramenta circumtulerrunt, quia opinione Enthusiastici & colloquiorum Divinorū terrentur homines, & adducentur, ut tales impostores magnifaciant, quales fuerunt nostra ætate multis noti Pelargus, Monetari<sup>9</sup>, Monasterienses, Camnan<sup>9</sup>, & multi alii.

45. Salomon simul de Ministerio externo & de Filio DEI concionatur: Tui coram eo Artifex, & deliciæ quotidianæ, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terræ suæ, & delectationes mex cum filiis hominum. Spectacula nobis omnium pulcherrima proponit, affirmat Filium DEI formatorem fuisse immediatum ordinis & œconomix in Creatione operum mundi. Et hunc ipsum Filium DEI delectari hominum consuetudine. Quid potest dici dulcius? Significat autem Filium DEI missum esse ad homines, & adjunxit externum verbum, ait hanc sapientiam clamare in portis civitatis. Ita & nos dicimus Filium DEI adesse Ecclesiæ & efficacem esse voce Evangelii, sicut & in Johanne Scriptum est: Ego sum vitis, vos palmites. Et ad Ephesios: Christus est caput Ecclesiæ omnia perficiens in omnibus.



46. Præterea in opinionibus Papistarum magnū Mæos est errorum, de traditionibus humanis in ecclesia eorum, errorum defensio etiam discernit veram ecclesiam ab impiis congregationibus.

47. Opera non mandata divinitus nequaquam sunt cultus Dei juxta dictum: Frustra colunt me mandatis hominum. Talia sunt Monachorum vota, discrimina ciborum, cœlibatus sacerdotum, & similia.

48. Nunc unicus Austriacus renovat delinamenta de perfectione. Nominat perfectionem simulationem paupertatis cum sit parasitus aulicus.

49. Impossibile opera non mandata à DEO perfectionē esse, cum nō sint cultus Dei. Et manifeste dicat vox divina: In præceptis meis ambulate non in præceptis Patrum vestrorum. Et cum null<sup>o</sup> homo in hac pravitate naturæ possit satis, facere legi Dei manifestum est, non esse in hominib<sup>9</sup> perfectam obedientiam, sed Paulus inquit: in Christo consummati estis, videlicet imputatione. Et postea in vita æterna erit perfectio reipsa in nobis, cum erit De<sup>9</sup> omnia in omnibus beatis, id est, cum ita fulgebit in nobis Deus, ut non sit simul peccatum, sicut in hac vita in sanctis, etiam si sunt, Templum Dei, tamen ad huc hæret in eis peccatum.

50. Certissimum est, duo genera esse operum in ecclesia, signa promissionum, quæ nominantur Sacramenta & Sacrificia. Ac insulse cogitant de Sacramentis in N. Testamento, qui imaginantur Baptismum & cœnam Domini rit<sup>9</sup> esse principaliter ad hoc institutos, ut discernant Christianos ab aliis coram hominibus, sicut Toga discernebat Romanum à Græco, sicut aliqui scripserunt.

51. Sed Sacramenta N. Testamenti sunt Signa voluntatis Dei erga nos, i.e. sunt ritus à Deo instituti, ut sint Testimonia, seu pignora, quod Deus exhibeat nobis præmissa.

Bene-



Beneficia in Evangelio. Hic primus finis est, postea possunt accedere alii Fines & significationes, ut, hic est calix Novi Testamenti, i. e. novæ promissionis, qui erit pignus Testificans dari vobis promissa in N. Testamento, & promissio est accipienda Fide, sic igitur utendum est Sacramento, ut credas, tibi exhiberi promissa in Evangelio, Remissionem Peccatorum, & Reconciliationem. Rectè etiam dicitur, esse ea Testimonia applicationis, ut cum Promissio Generalis sit, usus Sacramenti est pign<sup>r</sup> Testificans promissionem ad te pertinere, hic primus & proximus Finis est Cœnæ Domini. Postea est Nervus congregationis, Testimonium Confessionis, Fœdus Benevolentiae erga omnes cives ejusdem Ecclesiæ, possunt enim unius operis plures esse Fines. Hæc in Genere de Ratione Sacramenti scire necesse est.

52. At sacrificia sunt opera à Deo mandata, facienda in Fide, in quibus Deo nos aliquid offerimus, videlicet obedientiam, quæ testatur hunc vere Deum esse, quem sic colimus, & ostendimus eum sic velle coli, ut castitas Joseph est opus à Deo mandatum, si vera Fide, & præstat Deo obedientiam, quæ testatur hunc verè esse Deum qui sic colitur, & ostendit eum sic velle coli. Obedientia Stephani in supplicio est opus mandatum à Deo, fit verâ Fide, & præstat hunc honorem Deo, testatur hunc verè Deum esse qui sic colitur, & ostendit eum sic velle coli.

53. Osiandertres gradus fecit Sacrificiorum, Typica, Propitiatorium & alimenta sacerdotum. Altera distinctio magis perspicua est quæ facit duas species. Propitiatorium & *ευχαριστιῶν*, unicum est autem re ipsa propitiatorium, videlicet obedientia Filii DEI, quæ est *λύτρον* pro nobis & meretur nobis reconciliationem. Nec esse plura testatur dictū: Unica oblatione consumavit sanctos, ac Paul<sup>o</sup> R. 8. nomi-



nominaret *ᾠβὶ ἀμαρτίας* tibi hæc vera Syntaxis est condemnavit peccatum scilicet nostrum in carne nostra *ᾠβὶ ἀμαρτίας* id est per hostiam, quæ nominabatur *ᾠβὶ ἀμαρτίας*. Quod autem in lege quædam nominabantur Propitiatoria, habebant id nomen propter typum, nec merebantur remissionem, sed cum pii offerebant, erant *εὐχαριστία*.

54. Sunt autem omnia cætera piorum sacrificia *εὐχαριστία*, videlicet omnia opera à Deo mandata facta in fide, at in eis Deo offerant obedientiam, & restentur, hunc verè esse Deum, quem sic colunt, & ostendant eum sic velle coli. Sic sacrificia & castitas Joseph, odedientia Stephani in supplicio, labor Pauli in docendo, beneficentia quam exercet Sareptana, præbens hospitium Eliæ.

55. Hac distributione considerata manifestum est, horrendam impietatem esse, quod fingunt Papistæ, missam esse sacrificium quod mereatur remissionem peccatorum facienti & aliis.

56. Nec esse sacrificium *εὐχαριστιᾶν* inde apparet qui non institutum est ut offerant Christum, cumquæ offerre sit ingredi in sanctum sanctorum, & derivare in sese iram Dei, hæc ipsi tantum Filio competunt non aliis. Unde igitur hæc audacia est, quod sacrificuli dicunt sese offerre Christum. Nequæ hæc sunt in veteri Græco Canone.

57. Nec minor est impietas quod plurimi sacrificuli, ventris casu ritu imitantur, prorsus ignorantes quid agant, Tales colunt Deum Maozrin.

58. Hæc ingenia mala satis deplorari non possunt, etiamsi tantum, lachrymarum singuli funderent, quantum undarum vehunt magna flumina. Sed orandus est Filius Dei, ut ipse deleat omnia idola & nos doceat, & ad veros cultus omnium pectora fleat. Cum autem tantum idolorum & errorum sit in seeta Papistica & accedat injusta crudelitas, manifestum est Papam & Episcopum non esse Ecclesiam Dei, & Scriptores qui prætexunt nomen Ecclesiæ, his tantis sceleribus Polum, Isium, Boardum, Canisium Staphylum, & similes decipere ignaros & horribiliter Deum offendere, Tenenda est enim Regula: Si quis aliud Evangelium docet, Anathema sit, cum igitur Ecclesia sit cœtus rectè docens, vera graditudine Deum celebremus, quod nos fecit cives, veræ Ecclesiæ, & propter hoc ingens Beneficium, pie fovere nostros cœtus studiamus.



05 A 395

ULB Halle

3

004 210 530



VD 17











I. N. J.  
 DISPUTATIO INAUGU-  
 RALIS,  
 DE  
 CRIMINE VERÆ ECCLE-  
 SIAE DEI ET ALIORUM HO-  
 MINUM,  
 PRÆSIDE  
 PHILIPPO MELANCHTHONE,  
 Pro Licentia assumendi  
 Gradum Doctoris  
 d. 18. Maji, 1556.  
 habita à  
 PAULO DE EIZEN, Hamburgensi.  
 Superintendente Ecclesiæ Dei in  
 inclyta Hamburga.

---

sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta /  
 Nunc recusa M DC LXXVIII.

41

